

CONSELLO DA CULTURA GALEGA
GALLAECIAE MONUMENTA HISTORICA

53

1216/03/20.

Pacto feito por don Xoán Reimúndez e a súa muller, dona María Afonso, co mosteiro de Toxos Outos polo cal o cenobio cédelle en prestimonio diversos bens ó matrimonio, bens que gozarán durante a súa vida. Ó morreren ámbolos dous, estes bens volverán ó mosteiro xunto con outros doados pola parella.

B.- Tombo, f. 35rv.

Incipit terra de Intinis.

**Placitum domni Johannes Remundi, militis, de hereditatibus de Palaciis
et de aliis locis.**

Era Ia CCa La IIIa et quotum XIIIo kalendas aprilis. Ego Johannes Remundiz, miles, et uxor mea Maria Aufonsi et omnis uox nostra vobis domno Johanni monasterii Sancti Justi abbati et omni conuentui eiusdem monasterii omnique uoci uestre facimus pactum et placitum in M solidos firmiter roboratum ita quod nos ambo de uestro iure et de uestro dato teneamus tantum in uita nostra in prestimonium hereditatem de Palacios de Celticos et aliam seruicialiam in Lour et aliam in Pignario de Carnota et aliam in Tali cum quinque terris que fuerunt de Munione Monacho; quas siquidem hereditates // bene populatas vos nobis in prestimonium datis tali uerbo et conueniencia ut eas nos tantum in uita nostra teneamus et non uendamus eas nec subpignoremus nec alteri ad tenendum demus et ad mortem nostram liberas et pacificas et bene populatas uobis et monasterio uestro eas relinquamus, et cum eis ego Johannes Remundi alias duas seruicialias similiter bene populatas una in Cornido et alteram in ipsa villa de Pignario et meas portiones ecclesiarum de Taragonio et de Linaio et de Olueyra cum quanto in ipsis ecclesiis ganauerim et habuerim sicut iam olim in aliis placitis promisi; et ego Maria Aufonsi aliam seruicialiam bene populatam in Taras. Sed si ego Johannes Ramundi ante quam uxor mea Maria Auffonsi obierim uos et monasterium uestrum intretis in medietate de ipso seruiciali nostro de Palacios et in medietate de ipso de Lour et de Pignario et de Cornido et in medietate de alio de seruiciali quod ego uobis in Pignario pro ipso uestro dare promisi et promitto; et Maria Aufonsi leuet aliam medietatem et possideat usque ad obitum suum ipsum de Tali integrum et ipsum de Taras. Si autem ipsa ante me obierit uos intretis in medietatem ipsius seruicialis de Tali et in medietatem ipsius de Taras, et ego possideam usque ad obitum meum alios prenomatos integros cum medietate de ipso Tali et de Taras. Et ad mortem amborum uos habeatis ipsas predictas hereditates liberas et pacificas et bene populatas et possideatis eas in secula seculorum. Et ego Johannes Reimundit tercio et hoc placito concedo et profero me uobis in monasterio uestro pro fratre et familiari uestro bono et fideli, et in uita mea uos et res uestras diligam et defendam prout melius potuerim, et ad mortem meam me in uestro monasterio sepeliri iubeam et non alibi sicut iam ex olim roborando regulam uestram uobis promisi, et in tota terra quam ego tenuerim homo uester non det uocem nec enliçam nec ullum forum regis nisi uobis et monasterio uestro. Similiter et ego Maria Aufonsi iam ex hodie concedo et profero corpus meum uobis et monasterio uestro ut in uita mea uos diligam et pro modulo meo honorem et seruiam et ad mortem me in uestro monasterio sepeliri iubeam et ibi totam nostram mandationem tam corporis quam anime faciam. Et uos recipiatis nos in toto beneficio monasterii uestri et conuenitis nobis facere cum uobis necessarie tenuerit sicut unus de obtimis familiaribus uestris.

Ego Johannes Remundiz et uxor mea Maria Aufonsi in hoc placito manus nostras roboramus.

Q. p. f. Petrus Cresconii, celarius, conf. Petrus Gascus, con. Petrus Petri de Corzon, conf. Johannes Anfonsi, conf. Johannes Didaci, miles, conf. Didacus Pelaici, conf. Johannes Anfonsi, conf.

Dominicus, cantor, qui notuit et conf.